DE TETANO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS...

Secundo Passi



DE

TETANO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS HONORES

IN MEDICA FACULTATE

OBTINENDOS

MENSE JANUARII ANNI MDCCCXXX

IN MAGNA UNIVERSITATIS PATAVINAE AULA

HABUIT

SECUNDUS PASSI

ADRIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXX.



VIRO

NOBILITATE, HUMANITATE ET DOCTRINA

PRAESTANTI

ALEXANDRO BIEGO

PROVINCIAE RHODIGINAE PROTOMEDICO

SECUNDUS PASSI

S. ATQUE F.

Tenuitatem virium mearum recte considerans nunquam profecto ad id me adduxissem, ut quidquam a me elucubratum e parietum domesticarum obscuritate in publicam lucem afferrem. Quoniam vero id expostulat solemnis hujus diei mihi desideratissimi pompa, consuetudini et legi obtempero, et dissertatiuneulam quamdam de morbo cum infrequentia, tum atrocitate singulari, de te-

tano inquam, typis committo. Non nova quidem profero, sed noviter, quod ab aliis accepi candidus referens, quod ipse opinor modestus proponens. Cum autem sat videam quam sit exiguum operis pretium, id sub tuo nomine perillustri, egregie Vir, tutari in animo fuit. Tu ea humanitate qua praestas parvam hanc rem suscipe atque tueare; ingenuum enim est pignus perennis illius obsequii quo me tibi devinctum penitus sentio.

Tetanus, morbus formam distinctam ac terribilem praeseferens, medicas observationes et antiquis et postremis hisce temporibus in se convertisse haud dubium videtur. Et revera antiquae medicinae cultorum, quae adhuc extant, et aetatum posteriorum scripta talem opinionem confirmant. Quam ob rem multas habemus tetani observationes, nec non methodos curativas et theorias cujusque aetatis doctrinis dominantibus accommodatas. Quo fit, ut non solum morbum natura sua formidolosum ac fere insanabilem compescere medici officium sit, sed theoriarum inter ac praxium reluctantia dictamina ipsi verum cernere opus sit. Plurimorum practicorum exactae observationes, methodi curativae simpliciores, necroscopiae permultae antea rarissimae, medicinae theoria firmiori basi innixa ad tetani sedem ac naturam inquirendam alacriori et fidentiori animo incedere concedunt. Quod olim Hippo-

crates, Galenus, Aretaeus, Mercurialis, Valsalva, Baglivi, Sauvages et multi alii tentarunt, nunc Tommasini, Brera, Bergamaschi, Magendie, Wilson-Philip, Speranza etc. meliori cum successu perficere potuerunt. Ex eorum observationibus et scriptis, ut vires nostrae sinunt, indagatis, quod certum constat, quod dubium et obscurum tetanus praebet, fideliter sumus expositurí.

De morbi alicujus natura, docente eximio Buffalini, rectam notionem desideranti, causae, phaenomena, methodus curativa, et sequelae sunt primum inquirendae. Nobis ergo tetani indolem ac sedem indagantibus, haec prius cognoscere necesse est, ut postea ad conditionem pathologicam et diathesim caute progredi concessum sit.

Tetanus, nempe tonica contractio musculorum immobilitati membrorum associata, sequentia notatu digna praebet phaenomena. Ad invasionis stadiam dolor mitis cervicem posteriorem atque occiput occupans, quandoque etiam scrobiculum, linguae etc. deglutitionis difficultas, manifestantur. Musculi postea maxillae elevatores rigescunt, trismus evolvitur. Dolor spinalis medullae decursum occupans exurgit, et rigiditas musculorum dorsi, et persaepe etiam abdominis. Progrediente morbo

dolores atroces evolvuntur; musculi omnes trunci ac artuum eodem afficiuntur spasmo; corpus omne statuae ad instar rigidum fit. Modo musculi omnes eodem contractionis ac rigiditatis gradu corripiuntur, et corpus immobile extensumque fit: modo vero posteriores validius contrahuntur, et tunc opisthotonus, modo anteriores et emprosthotonus, modo laterales et pleurosthotonus dextrorsum et sinistrorsum habetur. Facies rugosa, oculi immobiles vel mobiles summopere fiunt, faciei quandoque et aurium musculi repetitis contractionibus afficiuntur. Quo contractio, ibi dolor se se ulterius propagans ad spinam usque; quo contractio, ibi calor, inde sudor quem brevissima remissio subsequitur; vox flebilis, rauca, vel nulla; organorum sensuum, quibus caput sedes, functiones modo adauctae, modo imminutae, interdum omnino suspensae, cephalalgia, insomnia morbum comitantur. Febrim raro, ut ex tetani natura patet, medico observare conceditur: observatur vero exacerbatio nocturna; mentis facultates sanae fere semper servantur.

Symptomatum vis imminuta, dolor in gravativam sensationem commutatus, sudor copiosus, evacuationes, haemorrhagia, sensus quasi liquidi per dorsum fluentis sanationem prae-

carrere visa sunt. Symptomatum vis adaucta, cutis ariditas, sopor, delirium, complicationes, malum omen pronunciant.

Duratio morbi varia est: modo ad tertium, vel immo secundum nyctemerium aegrum enecat, modo ad vigesimum usque protrahitur. Cum permultis phlogisticae, irritativae aliusve naturae affectionibus tetanus complicari potest. Inflammationi encephali, thoracicae, abdominalis, vel artuum, febri intermittenti, helminthiasi etc. consociari observatum est.

Quamquam tetanus cum ceteris humani corporis affectionibus comparatus formam magis similem et valde minores praebeat varietates, tamen nonnullas in incessu progressuque notandas ostendit. Persaepe decursum illum assumit, quem super ostendimus: interdum accessionalis fit, quandoque periodicus, et tunc fere semper febri perniciosa tetanica sic dicta consociatur. Interdum musculorum trunci partem tantum afficit, maxillae ex. gr., vel cruris. Dolor potest etiam deesse, vel mitis adesse: quod praesertim in tetano accessionali, febri non consociato observatur. Quandoque etiam, sed raro perdiuturno decursu organicis adfectionibus communi, et per paroxysmos recurrens aegros ad tumulum perducit.

Morbi sequelae. Tetanus praesertim trau-

maticas aegros fere omnes occidit, perpaucos ad sanationem, interdum ad morbosam nervorum sensibilitatem, ad paralysim, ad artuum convulsiones difficillime sanandas perducit.

Autopsiae cadavericae. Phlegmatiae spinalis haud dubia signa, nempe ruborem, injectionem vascularem membranarum interspinalium et vertebralium, meningum adhaesionem et hydropem, pulpae nervosae medullaris indurationes, emollitionem et hypertrophias invenerunt Wilson-Philip, Tommasini, Bergamaschi, Poggi, Pucinotti, Bard, Speranza etc. In tetano traumatico nervorum partis laesae inflammatio invenitur, quanquam externum vulnus cicatrice falsa fere semper obtegatur. Encephalitidis et inflammationis quorundam viscerum magnarum cavitatum, praecipue praecordialium, haud dubiae notae inventae sunt. Nulla etiam quibusdam in casibus alteratio manifesta observata est, si quidam collapsus et mollities textuum excipiantur, ut Magendie et alii in tetano a narcoticis deprimentibus excitato observaverunt.

Causae. Praecipue sunt: frigus calorque immoderati, praesertim cum humiditate conjuncti, repentinae temperaturae variationes, traumaticae laesiones nervorum speciatim ac tendinum, phlogosium radiationes in febri puer-

perali, erysipelate, encephalitide, animi pathemata deprimentia, narcotica, helminthiasis, hysterismus, epilepsia, meconii protracta mora, acida primarum viarum, miasmata palustria etc.

Methodus curativa. In morbos terribili forma donatos, et exitu natura sua persaepe lethali, methodos varias, inefficacas, inter se pugnantes adhibitas esse semper observatum est. Recte observandi difficultas, opiniones superstitiosae, inutilitas saepe notata pharmacorum ac methodorum rationalium, sanationes accidentales vi naturae operatae errores producunt atque perpetuant. Uti omnes in tenebris versabantur theoriarum auctores lucem inferre conati sunt, et somnia humanitati fatalia in praxin introduxerunt. Haec omnia tetani aliaramque nevrosium rectam notionem inquirenti, studium difficile magis magisque arduum atque obscurum reddiderunt. Modo vulgari superstitione, modo celebrium virorum auctoritate allucinati, methodum irrationalem, seu experimentis et rectis observationibus contrariam, fere semper practici adhibuerunt. Sanguinis missiones, drastica, hyoscyamus, nicotiana, carbonates potassae et ferri, mercurialia, hydrocyanica, digitalis, tartarus stibiatus, assa-foetida, balnea, valeriana, zincum, unctiones oleosae et aromatico-spirituosae, rubefacientia,

opiom, vinum, nutrientia, castoreum, camphora, denique ferme omnis materiei medicae supellex in usum vocata est. Hisce addere supervacaneum puto, quod saepe remedia contraria et reluctanti actione donata propinabantur simul, vel brevi intervallo. Membri laesi amputatio omnino inutiliter, vel potius lethali exitu saepe tentata est.

Sed quod ex hoc chaos observatori diligenti manifestum fit, sunt methodi antiphlogisticae, praesertim sanguinis missionis ac balneorum, fere universales laudes, et felices sequelae. *Tetanus*, ait Hippocrates, *lumborum in inferiorem vel posteriorem partem distensio, venae sectione solvitur.* = *Vinum*, inquit Plinius, *non est dandum in duritie praecordiorum opisthotono.* = *Crudele malum Indiis endemicus*, ait Bontius, ... *curatur copiosis sanguinis missionibus, cucurbitulis, gummigutta, sudariferis, nitro.*

Opiom saepe in subsidium vocatum, et alia stimulantia fere semper noxia fuerunt, raro utilia. Modo anthelminthicis, modo naturae viribus, modo cortice solvi tetanos observatur; modo vero per paroxysmos recurrens morbi organici characteres offerre.

Conditio pathologica. Fere namque auctorum concordes sententiae inveniuntur de te-

tani sede. Et revera dum causis, phaenomenorum apparentiis et hypotheticis theoriis innixi medici talis morbi rectam notionem acquirere conabantur, hujusce conditionem pathologicam numquam inventuros se clare patefecerunt. Recta ac diligens tantam analysis earum omnium, quae de ipso scire fas est, docere nos poterat.

Apud medicinae patres, et temporibus nobis magis propinquis e systematis nervosi organis insignioribus, e massa nempe cerebro-spinali, sensibilitatem ac mobilitatem manare opinio fuit. Baglivi, Van-Der-Bosch, Brocklesby, Gall etc. ex hac massa contractilitatem muscularem pendere censebant. Ex recentioribus observationibus et experientiis Le-Gallois, Wilson-Philip, Brodie, Bellingeri etc. medullae spinali proprietatem motricem inesse demostratam est. Hinc de morbo cum tali ac tanta mobilitatis innormalitate conjuncto haud dubie statuendum, centri mobilitatis, spinalis scilicet medullae laesionem esse inculpandam. Hoc per causas, nempe temperaturam abnormem, laesionem traumaticam etc. prodaci non repugnat, immo experientia confirmatur. Nec ita opinato, morbi seqaelae et methodus curativa obstant, immo concordant: autopsiae vero, per quas saepe spinitis inventa est, ve-

hementer comprobant. Nec illae per quas nulla medullae laesio inventa est, in contrariam adducunt sententiam; nam fere tantum temporibus nostris systema nervosum cultrum anatomicum expertum est, hoc tantum neoterici exacte descripserunt; et scimus in diathesi hyposthenica nullam inveniri perturbationem. Sed medullae laesio est ne vera ac praecipua conditio pathologica? An aliunde etiam manare queunt tetani phaenomena, unde deuteropathica ad medullam transferatur morbosus processus? Hic quoque sectiones in auxilium vocandae. Ex his scimus varias phlogoses (solae morbosae perturbationes hucusque cognitae) rhachialgitidi modo consociari, modo ab eadem abesse, spinitidem vero hasce constanter comitari. Objici vero posset, spinitidem sine tetano plerosque observasse. Magendie, Bellingeri aliorumque experimenta non unum simplicemque organon, sed multiplicem et complicatum medullam spinalem constituere demonstrarunt. Quamvis de hujusce officiis non satis concordes sint physiologorum sententiae, tamen sensu et motu distincta stamina praeesse dubitare non licet. Hinc dum partes quaedam filamentorum spinalium contractioni musculari voluntariae praeesse non afficiuntur, quomodo tetanus necessario absit, intelli-

gitur, et contra affectis partibus muscularem contractionem moderantibus tetanus necessario adsit. Hisce additur quod, uti docet pathologia, non semper eodem gradu partes afficiuntur, et variis morborum gradibus varia respondent phaenomena.

Diathesis. Corporum organicorum recta cognitio, cum physiologica vita viget, per se ardua, si per processum pathologicum alteratæ sit, difficillima evadit. Et si id hisce temporibus experientia nos docet, quanto magis veteris medicinae cultoribus morborum naturam indagantibus arduum opus esse oportebat? Deerat fere omnino, quae nunc per anatomen, physiologiam, necroscopias simplices curandi methodos lux est illata. Ex illorum porro temporum auctoribus, quid de tetani natura seu diathesi discendum? Opiniones vera per praxim felicem inspiratae spernendae non sunt.

Quapropter, theoriis minus idoneis praetermissis, praecipuorum practicorum sententias samus expositari. Scripta Hippocratis, Galeni, Aretaei, A. Lusitani, Dodanaei, Boutii, Foresti, Baglivi etc. tetanum ad naturam inflammatoriam pertinere asserunt. Sauvages et Cullen spasmodicum semper, modo idiopathicum, modo sympathicum morbum nostrum judicarunt. Spasmi vero quae sit natura nec ex il-

lis, nec ex aliis ediscere concessum est. Brown, sicut omnes convulsivas affectiones, hyposthenicae tetanum adscribebat. Petrus Frank et Borsieri et alii practici magis observationis quam speculationis amici, non solum ex adaucto incitamento, verum etiam ab aliis morbosis conditionibus ex. gr. helminthiasi et quadam febris intermittentis varietate pendere arbitrati sunt. Nostris vero temporibus quam plurimi tetanum ex medullae spinalis inflammatione ortum trahere asseruerunt. Ex iis vero quidam alios quoque naturae illum posse esse concedunt; permulti rhachialgitidi eum tantum adscribunt. Primos inter adnumerantur Raggi, Borda, Tommasini; Geromini autem, Sparanza, Magendie, Broussais alterius sunt sententiae.

Quid ergo de tetani natura statuendum? quid nobis ex causarum, symptomatum, exitus ac methodi curativae analysi manare videbitur? Clarissimorum auctorum sententiae certe maximi sunt momenti, sed si, dum concordes sunt, natura est interroganda, quanto magis, dum discrepant, perscrutanda erit?

Interim ad trutinam vocatis quae nos scrutari studuimus ex analysi, quantum potuimus, diligentissima tum causarum quae morbum gignunt, tum symptomatum, quae morbum noo-

tiant, tum denique medelae quae penes varios auctores optima praedicatur, opinionem illam facile amplectimur, quam et saniores cujuscumque aevi practici amplexi sunt, tetanum nempe plerumque spinitidis tantum varietatem referre, interdum tamen et hyposthenicae diathesis et irritativae conditionis et organicae laesionis esse phaenomenon.

Sed tantae molis judiciam proferentibus, quibus adhuc nec experientia nec vires ingenii sufficiunt, quidnam de audacia nostra judicabitur? Andentes quidem opus suscepimus, prudentius progredi conati sumus: methodum quippe analyticam ad medicinae veritates investigandas praestantissimam omnium adhibuimus. Nisui fortasse impar exitus, sat nulla probior voluntas. Hoc nos solatur, hoc veniam nobis comparaturum esse speramus.


6